

8.42.5

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Septimiae.*

Si pater tuus, cui te successisse proponis, creditori pro Alexandro suscepto nomine certam pecuniam stipulanti spopondit, licet per improbitatem Alexander ei satis non fecit, tamen summae repromissae nimis improbe solutio negatur.

*S. II id. April. Sirmi CC. consss.*

[a. 294]

8.42.6

*Idem AA. et CC. Ziparo.*

Nec creditoris creditori quisquam invitus delegari potest.

*S. XII k. Nov. Dorostolo CC. consss.*

[a. 294]

8.42.7

*Idem AA et CC. Zoilo.*

Si solvere tibi pecuniam delegatus Eucarpus dare spopondit vel debitum constituit, suo nomine conveniri potest, alioquin adversus eum experiri piro chirographario debitore tuo frustra conaris.

*S. XVII k. Ian. CC. consss.*

[a. 294]

8.42.8

*Imp. Iustinianus A. ad senatum.*

Novationum nocentia corrigentes volumina et veteris iuris ambiguitates resecantes sancimus, si quis vel aliam personam adhibuerit vel mutaverit vel pignus acceperit vel quantitatem augendam vel minuendam esse crediderit vel condicionem seu tempus addiderit vel detraxerit vel cautionem iuniorem acceperit vel aliquid fecerit, ex quo veteris iuris conditores introducebant novationes, nihil penitus priori cautelae innovari, sed anteriora stare et posteriora incrementum illis accedere, nisi ipsi specialiter remiserint quidem priorem obligationem et hoc expresserint, quod secundam magis pro anterioribus elegerint.

¶ Et generaliter definimus voluntate solum esse, non lege novandum, etsi non verbis exprimatur, ut sine novatione, quod solito vocabulo ἀναβατέσθως dicunt, causa procedat: hoc enim naturalibus inesse rebus volumus et non verbis extrinsecus supervenire.

*D. XI k. Aug. Constantinopoli Lampadio et Oreste vv. cc. consss.*

[a. 530]